

Georgii martyris que semper fuit capella beati Marci titulus ius scilicet nostri palacii. Ideoque nos Tribunus divina gratia dux Venecie, motus tuis precibus, hortantibus, et consentientibus nobis, videlicet, domino Vitale egregio patriarcha, insimul cum episcopis nostris et cum (4) primatibus seu et populo Venecie, quorum manus obtinorum (sic) partim ob firmitatis inditia subter adscripte sunt. assensum petitioni (5) tue cum successoribus nostris. damus eandem ecclesiam perpetualiter fieri monasterium, ad laudem omnipotentis dei et nostre patrie tuicionem. Ita ut tu omnibus diebus vite tue monachico more vivas. catervam Christo servitutam. iuxta (6) discretionem a Deo tibi traditam. ibi potestative ordinari debeas, sine nostra vel successorum nostrorum aut cujuslibet hominis contrarietate. Cum toto edificio. libris. thesauro. et vinea ibi conjuncta et paludibus. rebusque mobilibus et immobilibus ad eam pertinentibus. Quia equum est ut Christo famulari desiderantibus libera in omnibus illi serviendi tribuatur facultas. Quicquid autem tu ibi dederis de tuis facultatibus aut si tu eam melioraveris. nullus in vita vel post transitum tuum inde aliquid requirere presumat. sed in dominio eiusdem ecclesie quam deinceps monasterium perpetualiter manendi ordinamus, semper maneat ad succedentium fratrum subsidium. Verum minus molestias aut contrarietates nobis aut successoribus nostris tibi inferentibus prefatum monasterium relinquere non debeas. sed eum possidere. tenere. meliorare. et ad cultum divinum pivere (7) juxta regulam beati benedicti debeas. sine nostra aut successorum nostrorum vel aliorum hominum contrarietate ut dictum est. Post tuum vero transitum potestas inde damus cum successoribus nostris Abbati qui ibi per tempora fuerit et ceteris fratribus. ut eorum sit monasterium per successionem et consuetudinem. seu regulam ceterorum monasteriorum dei. Verum quia ecclesia fuerat pertinens ad dominium basilice (8) beati Marci que est capella nostri (sic) (9) et libera a servitute sancte matris ecclesie. volumus ut eadem libertate semper consistat. ut nullus episcopus servitutis usum requirere, aut prandia presumat, nisi tantum ut provisorem decet rectitudinem illos tenere deceat, et pabulum vite eterne ministret. Si quis hoc decretum quod hortatione et consensu predictorum principum et fidelium nostrorum ob sancte monialis vite regulam dilandam corrumpere voluerit. anathematis pena multetur. Et insuper componat auri obrizi libras viginti. medietatem (10) in camera nostri palacii, et medietatem in prefato dei monasterio. Et hec decretus (sic) (11) et firmitatis nostre cartam omnibus pro futuris temporibus maneat in sua firmitate. Concedimus atque offerimus deo omnipotenti. et in isto monasterio beati Georgii pro comune omnium voluntate (12) illum totum lacum iunctum iuxta vineam (13) quam tu dedisti in prefato monasterio que fuit dominico fratri tuo. ubi antea fuit molinus ius nostri palacii. cum totis petris que ibi reiacere videntur. ubi tua qmolum (tu aquimolum) debeas facere. sicut antea fuit ad opus de vestro monasterio perpetualiter manendum. Ita ut nullum publicum servitium, mollenarii habitantibus. tam in ipso quam in aliis duobus. aquimolis positi in Rivo businiaco. quos tu dedisti in iam dicto monasterio. aliquando facere debeat. nisi tantum vigiliis (14) per vices suas ad nostrum palacium. secundum eorum consuetudinem. Quod si aliquis eandem aquam quam comuni voluntate (15) donavimus. in iam dicto monasterio tollere voluerit. aut aliquas contrarietates exinde facere presumpserit. tunc suprascripto prostimo (sic) (16) persolvat. et quod donavimus sive offerimus (17) per hunc vinculum nostre confirmationis ibi firmiter semper permaneat. Quam scribere iussimus Vitalem presbiterum et notarium nostro (sic) (18).

(4) et ceteris (pare)

(5) petitionis

(6) iuxtam (per errore)

(7) (forse providere) o provehere

(8) basilice

(9) nostri palacii

(10) medietate

(11) hec decret

(12) voluptate

(13) vinea

(14) vigilia

(15) voluptate

(16) pstimo

(17) offersimus.

(18) dopo nostro si legge nel Processo num. 1. Ista est exempla de alio decretum nec ampliavi nec minui.